Modicum inquit vobiscum sum et ad patrem ibo
Non turbetur cor vestrum quia ad ~~patrem ib~~ vos redibo
Vado mecum parare vobis locum
Et tunc veniam et accipiam vos ad me ipsum
Vos estis qui mecum in temptacionibus meis permansistis
Et ideo in regno meo mecum edere et bibere meruistis
Manete in dilectione mea et ego in vobis manebo
Et si per humanitatem abiero per deitatem semper vobiscum ero
Sicut palmes non potest facere fructum nisi manserit in vite
Sic nec vos nisi manseritis in me
Ego sum vitis vos autem palmites estis
Si in me manseritis multum fructum facere poteritis
Vos estis palmites et ego sum vitis vera
Pater meus celestis est vinitor et agricola
Omnem palmitem non facientem fructum amputabit
Et in igne inferni eternaliter cremabit
Palmitem autem ~~autem~~ facientem fructum purgabit
Et sic maiorem fructum portabit
Mundus autem gaudebit vos autem contristabimini
Sed tristicia vestra vertetur in gaudium quo non privabimini
Mulier cum parit tristiciam habet
Cum autem peperit filium eam tristiciam oblivioni tradet
Sic et vos in hac vita tristiciam patiemini
Ut in futuro omnem tristiciam obliviscamini
Sed quia de recessu meo vobis locutus sum
Tristicia implebit cor vestrum
Scitote quod expedit vobis ut ego ad patrem vadam
Et alium paraclitum id est spiritum sanctum vobis mittam
Si enim non abiero paraclitus non veniet ad vos
Si autem abiero mittam eum ad vos
Cum autem ille venerit omnem veritatem vos docebit
Et tunc cor vestrum de ipsius consolacione gaudebit
Ipse vos de omnibus informabit
Et que ventura sunt ipse vobis annunciabit
Hys et alijs multis modis discipulos consolabatur
Et spiritum sanctum ipsis in futurum pollicebatur

http://dl.ub.uni-freiburg.de/diglit/speculum1436/0193
© Universitätsbibliothek Freiburg
gefördert durch Baden-Württemberg